



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Cap. I. Godefridus, Gerardus, Fridericus, Sigifridus, Godefridus &
Fridericus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

GENEALOGIA HISTORICA.

Veterum Comitum Viennensium in
Arduennâ.

CAPUT I.

*Godefridus, Gerardus, Fridericus, Sigifri-
dus, Godefridus & Fridericus.*

GODEFRIDUS.



Uit Decanus Cœnobij Stabulensis.
De eo Chronicon Magnum Belgicum
ex Chronicis Episcoporum Leodien-
sium: *Anno Domini 986. Godefridus, Co-
mitis Vienna filius & Ecclesiæ Stabulensis Decanus, addu-
xit feretrum S. Remacli Leodium, occasione cuius duæ
Ecclesiæ Parochiales S. Remacli Leodij fuerunt consecratæ.
Fusius ista Fisenius.*

GERARDUS.

Subscribit tabulis donationis fundi Geichlin-
gani, factæ Esternacensi Cœnobio, anno 1096.
Titulo Comitum de Viennâ.

N 6

FRI-

FRIDERICUS.

Forum S. Petri, Vicus Limburgum inter & Traiectum Mosæ, memorabilis est Conventu Ludovicorum, Ludovici Pij Imperatoris nepotum, ibi anno 878 habito. In actis D. Huberti Fura appellatur; vulgò *Foron*. Huius loci Parœciam Conradus Comes Luciliburgensis, condens Cœnobium Munsteriense, novellæ domui dedit. Patris deindè donum Guilielmus filius probandum curavit ab Alberone Episcopo Leodiensi, in Conventu Principum ad Forum S. Petri convocato, anno 1124. Tabulas probatorias inter alios signavit *Comes Fridericus de Vienna*.

Albero Trevirorum Archi-Episcopus à Conrado III. Cæsare cœnobium D. Maximini impetraverat. Henricus Comes Luciliburgensis & Namurensis, cognomento Cæcus, erat avito iure eius cœnobij Advocatus seu protector. Is conflato exercitu, ferente etiam opem Balduino Hannone, suæ tutelæ cœnobium vindicare constituit. Iuvat ista narrantem audire Baldricum eorum temporum scriptorem. *Comes, inquit, in Principio huius discordia, ex improvise, ansequam Domino suo fidelitatem condixisset, cum mille quingentis militibus Trevirensi appropinquavit Civitati. Et Trevirini non erant præmuniti, nec vallo nec muro adhuc cincti, & longâ pace bello desueti; & ipse Archi-Episcopus aberat, in curiâ Regis existens. Potuissetq; civitatem tum mul-*

zum gravasse, si Deus hoc malum non avertisset. Sed Comes Fridericus de Viennâ tum fortè fortuito erat in Civitate, & occurrens Comiti Namurensi, multis suasionibus eum redire fecit, monstrans magnam fore ipsi & perpetuam infamiam, si quid tale contra Dominum suum committeret, antequam Domino suo renunciasset: præsertim contra Maiestatem Regiam id fore, si Archi-Episcopo, ex mandato Regis in curiâ commemoranti, malum aliquod inferret. Hucusque Baldricus. Browero placuit, facta hæc esse anno 1139.

Cùm deindè Albero Richardo Sprinckirsbachensi Abbati Kemetam Parœciam Treviris in Synodo donaret, tabulas ibi donationis inter alios anno 1142 signavit idem Fridericus Viennæ Comes. Sed in posterum Fridericus Alberonem ex amico infestum habuit, anno, ut visum Browero, 1147. Rem narrat Baldricus. Arram quoque castrum Fridericus de Viennâ, cum custos unius turris ab Archi-Episcopo esset constitutus, totam sibi usurpaverat, & rapinas multas in flumine Moselle exercebat. Quod Archi-Episcopus iterùm recuperans, Comitem Fridericum inde eiecit.

S I G I F R I D U S.

An Friderici filius, an frater, incompertum. De eo ita in priscis Trevirorum Annalibus. Idem Comes Henricus Luciliburgensis & Namurensis, & Viennæ Comes Sifridus in hoc conspiraverunt, quod uterque Castellum unum in Episcopatu Trevirorum edificaret.

206 *Genealogia Historica Veterum Comitum*
caret, unde ille pro *Manderscheide*, iste pro *Arra* Episcopatum fatigeret. Hanc interim conspirationem *Hillinus* *Trevirorum* *Archi-Episcopus*, *Alberonis* successor, vir prudens & providus tali modo disposuit, quod *Comes Namurensis Macheram* se vivente teneret, & post ad *Episcopatum* rediret. *Browerus* hæc anno 1153 attribuit.

G O D E F R I D U S.

Neque de *Godefrido*, cuius filius fraterve fuerit, quidquam iuvenio. *Henricus VI.* *Imperator*, *Ioanne* *Archi-Episcopo* *Trevirorum* agente, *Godefridum* *Esternacensem* *Abbatem* gradu moverat. Sed eum deindè *tabulis Augustalibus* restituit, testibus *Principibus* *viris*, inter quos *Godefridus Viennensis*. *Browerus* factum ait anno 1192. ex *tabulis* ut arbitror.

F R I D E R I C U S.

Multa deindè & constans mentio est in veteribus monumentis *Friderici* *Comitis* *de Viennâ*, sed tacito patris eius nomine. Sub annum 1193, ut censet *Browerus*, *Ioannem* *Trevirorum* *Archi-Episcopum* captivum abduxit. Id ita scriptum in *vetustis* *Trevirorum* *libris*. *Captus* *Ioannes* *Archi-Episcopus* à *Comite Viennensi*, *custodiæ* *mancipatus* est. Vndè *permotus* *Henricus* *Palatinus* *Comes* *Rheni*, dixit, se *exponere* *velle* se & *sua* *ad* *liberationem* *Domini* *sui*. Ipso ergò & alijs *potentibus* *ad* *bellum* *se* *parantibus*,
Comes

Comes Episcopum dimisit transactione interveniente. Ita exemplar V. A. Eustachij Wilthemij quondam Præsidis Luciliburgensis, nomine proprio, Comitibus Viennensis, prætermisso. Sed exemplaria alia Friderici nomen repræsentent oportet, tum quòd Christophorus Browerus, eo nomine hâc in narratione usus est, tum verò maxime, quod in adversarijs antè annos centum scriptis, hic locus ex Trevirorum libris cum *Friderici de Viennâ* nomine refertur.

Anno sequenti 1194 Fridericus interfuit bello Namurensi. Cùm enim Balduinus Hannoniæ Comes Henricum, cognomento Cæcum, Comitem Namurensis & Luciliburgensem, Namuro depulisset, Henricus Brabantia Dux pulso tulit opem. Iunxerant eius exercitui copias suas Henricus Dux Limburgensis, Theodoricus Comes Hollandiæ, Gerardus Comes Iuliæ, Albertus Comes Daaburgensis; iunxit & suas Fridericus Comes Viennensis. Pugnatum mense Septembri, Victore Balduino.

Adfuit deindè Fridericus scribendo inter Viros Principes atque magnates, cum Henricus Palatinus Comes Advocati ius, quod ei erat in Civitatem Trevirorum, Ioanni Archi-Episcopo vendidit. Conditæ tabulæ anno 1198.

Anno 1200. *Elisa Dei gratia Comitissa Salmensis, dat Ecclesiæ in Niderprum ius Patronatus Ecclesiæ Sigendorff in allodio suo sitæ, testibus Gerardo Prumiensi Abbate, Wilhelmo Decano maioris Ecclesiæ Trev. Friderico Comite*

Comite Viennensi (cuius sigillum etiam appensum est) & Mathilda Comitissa Viennensi & alijs. Hæc ego olim meâ manu in inferiore Prumiâ ex tabulis autographis.

Anno 1205. ut rationes subducit Browerus, Friderico diffidium fuit cum Ioanne Trevirorum Archi-Episcopo. Liber Gestorum Trevirensium rem ita narrat: *Comes Viandensis castrum edificare cepit, non longè à Civitate Trevirorum. Quintenberg à Quintâ rivo proximo ita dictum, iuxta fontem Milonis, haud procul vico Erangio. Ioannes igitur collecto exercitu castrum obsedit. Aliud ipse in proximo fonte edificavit, & sic obsidionem solvit. Infrâ paucos dies per eius industriam vino optimo ibidem tabernariè exposito, castellani, servi Comitis, facti sunt remulenti: eisque sic soporatis, castellani Episcopi castrum Comitis invaserunt, & combusserunt; quo facto Episcopus delevit & suum. In Chronico Cononis à Falkenstein Archi-Episcopi Trevirensis, idem iisdem propè verbis memoratur, sed neque nominato Friderico. Ei tamen hæc attribuit Browerus, nec dissentiente me. In iisdem gestis de Friderico ita scriptum, sed absque temporis nota. Idem Ioannes Trevirorum Archi-Episcopus conquirit à Friderico Comite de Viennâ ambo castra sua in Dudelendorff, & castrum suum in Garland, quæ & ipse, Ecclesiæ Trevirensi contulit, & ab Archi-Episcopo in beneficio recepit. Obijt Ioannes anno 1212. Ad Fridericum quoque retulerim, quod ex vetustis Trinitariorum Viennensium monumentis hæustum tradidère Bertelius & Browerus,*

cuius

cuius posterioris verba ponam. *Henrici Comitis Viennensis* (de quo mox) pater , in sacra *Palestinae* loca profectus , cum istic à Barbaris captus diu arumnoseque in arctâ custodiâ latuisset , denique stipe & benignitate Redemptorum , quos per fidum hominem sollicitarat , servitutum excussit , nexuque Barbarico solutus , cum assertoribus rediit ad suos salvus. Lytrum indè *Ordinis Magistro* solvit , & humana aliquot post annos exiit. Hæc cum Bertelio Browerus *Friderico* haud cunctanter attribuent , patrem eum appellantes *Henrici* , qui postea *Trinitariorum* *Domum* *Viennæ* constituit. Ego nullo quidem veterum testimonio *Henrico* patrem fuisse *Fridericum* comperio , rerum tamen temporumque concordia id facile persuadet.

Friderici sororem statuo *Mathildam* , quæ cum eo tabulas inferioris *Prumia* anno 1200. signavit , de quibus supra. Neque pugnat , quod *Comitissa Viennensis* inscribitur , quasi ius ei aliquod in *Viennam* , ac proindè *Friderici* potius uxor , quam soror , videri possit. Nam & puellis innuptis vivis parentibus secula illa nomen *Comitissarum* interdum dederunt. Ita *Hermannus* , scriptor rerum *Yolandæ* , filiam *Comitis Salmensis* (qui erat *Henricus* tuncque vivebat) sponsam *Friderici* fratris eius , *Comitissam Salmensem* nuncupavit , cum eam introducit invitantem *Yolandam* ad choreas :

Dy bynd dy suster danzen hyz
Don Salmen dy grebinnen.

O

Hæc

Hæc porrò Mathilda nupta primum Lothario Hochstadenſi Comiti, peperit Lotharium Comitem Hochstadanum, Conradum Coloniae Agrippinae Archi-Epiſcopum, Fridericum Præpoſitum S. MARIE ad Gradus Coloniae, aliamque prolem. Lothario dein poſt annum 1227. defuncto, iuncta eſt Henrico, ex præpoſito Traiectenſi Comiti de Duras, filio Gerardi Comitis Loſſenſis, ex eâque ſuſcepit Hymanam, Abbatiffam Salſinienſem. Hinc in tabulis Salſinienſibus, quas Hermannus Crombachius à me miſſas in Vindicijs Urfulanis evulgavit, dicta eſt Hymana Conradi Archi-Epiſcopi *Soror Uterina*. Hinc quoque Hymana eadem, Henricum, Yolandae Patrem, conſanguinitatis vocabulo (*Sippe*) apud Hermannum appellat, quippe eius conſobrina. Hinc denique ibidem Yolanda Conradum, *Oeme*, id eſt, avunculum, Hymanam vero, *Mume* / hoc eſt, amitam ſæpè nuncupat; more nimirum eius ævi, quo id licebat patruelium & conſobrinoꝝ liberis, prout doctè demonſtratum à V. C. Iacobo Chifletio, Lumine Salico VII. & XI. ad Vindicias Hiſpanicas.

Præter Hymanam Conradi Archi-Epiſcopi ſororem, alias tres memorat Hermannus; quæ Yolanda, ſicut Hymana, impugnaverint, quarum trium in eo opere prima fuit Ordinis Ciſterciensis Aleida, Antiftita ad D. Walburgis. Hæc cum eâdem Hymanâ ex oraculo S. Iulianæ quingenta D. Urfulæ ſodalium cadavera Coloniae

niæ invenit, perque varia Belgij cœnobia distribuit, ut Fizenius in libro de origine diei festæ Corporis Christi ex antiquis, & Crombachius in Vindicijs Ursulanis. Altera in impugnandâ Yolandâ fuit Hengenbachia, *Begina*. Post has duas, tertia successit in eo certamine Abbatissa ad D. Thomæ in Trevisis. Has omnes Conradi sorores vocat Hermannus patrio vocabulo Yolande **Mumen**/hoc est severè loquendo, amitas vel materteras; utrumque enim vox ea significat. Sed Hermannum voce **Mumen** usum laxè, prout valet cognatas, iam monuimus. Erant autem tres istę Conradi sorores; cognatę Yolande, quod natę essent ex Mathildâ Viennensi; sicut & Hymana, quę Henrico Durassio progenita, erat Conradi, ex Mathildâ & Lothario Hochstadani orti, uterina. Trium autem reliquarum uter fuerit Pater, an Lotharius Hochstadanus, an Henricus Durassius, non comperi.

FRIDERICI LIBERI.

HENRICUS, de quo postea.

N. N. filij capti cum Henrico fratre à Walramo Limburgio, Comite Luciliburgensi, in bello, quod ei fuit cum Philippo Comite Namurense, anno 1220. ut mox pluribus.

O 2

CA-